



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

Conceptio B. M. V. 8. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

770 VITÆ SANCTORUM. 8. Dec.
signa templo pedem permisit inferre, il-
lud Davidis exemplo se tuenti incla-
mans, Secutus es errantem, sequere pœ-
nitentem. Vidit igitur tunc orbis caput
suum ante pedes Episcopi jacere, num-
quam ira extollendum, nisi ita demississet
sefe. Porro AMBROSIVS obsessos ab
orco libertati, infantem demortuum vitæ
reddidit, Divorum multorum ossa è te-
nebris in lucem gloriosâ pompâ transtu-
lit, ipsius verò calumniatores morte subi-
ta vindex Deus abstulit. Moriturum ce-
lesti voce excitus Honoratus Epif. sacro
pane refecit, morienti verò blandum ar-
ridere Christus visus est, arisurus etiam
nobis in morte, si fientes in vitâ viderit.
Ex Paulino.

*Cum diluculo surgimus, debemus, primum
quam procedamus ex cubiculo, gratias age-
re Salvatori, & ante omnes actus sæculi,
actus habere pietatis, qui nos quiescentes
& dormientes in lectulis custodivit. Ut
enim ego securus dormiam, ille vigilat.*
S. Ambr. serm. 43.

CONCEPTIO B. M. V.
8. Decembris.

Speculum sine maculâ ostendimus;
VIRGINEM Conceptam. Festi hujus
dici originem, quæ sub annum coepit mil-
lesimum ac septuagesimum, sic habe.
Wilhel-

8. Dec. VITÆ SANCTORUM. 771

Wilhelmo Nortmannorum Duce Angliã potiente, missus ab hoc Helmsinus Præsul est, qui hostium numerum ac robur exploraret. Dum facit hic imperata, fortè per eos dies gravi tempestate jactatur. Nullã aliunde ope affulgente, Stellam maris *Mariam* vocat. Adest pro hæc è cælo Nicolaus, spondet manum naufrago, si *Virginis* Conceptæ diem habiturum se festum spondeat. Illico convenitur. Subsedit mare, enatat & vota Helmsinus Sospitatriçi exsolvit. Atque hæc initia ampliora D. Anselmus fecit; amplissimis deinde Indulgentiis ornavit Sixus IV. Pont. Max. in VIII. continuos dies, quos etiam ipsos luculento miraculo Numen probavit. Etenim Nicolaum Pratensem memorant, ad icona immaculatæ *Virginis* rosam cum his precibus deposuisse, velle juberet, si gratam ei esset, octo dies memoriam Conceptionis suæ agi, nunquam eo anno rosa illa marcesceret. Floruit semper, & cum rosâ multorum etiamnum in hanc diem pietas floret, quam ipsa ædium limina in Hispaniã his verbis loquantur: *Benedictum sit S. mysterium immaculatæ Conceptionis MARIÆ*. Quid? quod aliter sentientes Doctores rectius nuper ab Hispanis infantibus erudiri vidimus. Se certè accuset, qui maculam hodie videt; suam dicat. Non habet purum,

Ccc 2

sed

772 VITÆ SANCTORUM. 9. Dec.
sed ostendit maculas, speculum. Ex Ba-
ron. & Spinello.

*Opem intercessionis MARIÆ poscamus
singuli, poscamus omnes: oremus ut sit
protectrix in prosperis, submoveat noxia,
suggerat profutura, admittat preces suppli-
cantium intra sacraria divinitatis, nobis-
que impetret consortium suæ beatitudinis.*
S. Hildephon. l. 6. de Assumpt. B. M. V.

S. SYRUS EPISC. 9. Decembris.

SAcra nostra SYRUS à D. Hermago-
râ est edoctus, ipse Papienses docuit,
multum eâ in re S. Iuveni operâ usus,
quem socium expeditiones Hermagoras
addiderat, cuique à morte SYRUS no-
ster medius Martyres inter triumphare
est visus. Veronâ transeunti, ut de fide
nostrâ dicenti fidem haberent incolæ,
testem è tumulo mortuum excivit, &
cum primum Papiam est ingressus, se-
nis civibus gravissimè decumbentibus
salutem corporis, multò pluribus dein-
de animorum tulit, qui verbis miris-
eiusmodi inducti facilè Christianis ac-
cesserunt; tunc præsertim, cum novo
hospiti cedere hospitem Orcinum vide-
runt, qui è puero Syri imperio illicò ad
ergastula sua migravit. Adde è plurimis
aliis illud, quod unum Papiensibus ad-
mirationem parare poterat; nobis ju-
stif.